



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Benedictus Abbas. 21. Martii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

21. Mart.

VITA SANCTORVM.

155

osculis fatigans. Jam septennis VIRGINIS officium quotidie solitus est persolvere: novennis verò jejunia pane & aquâ sancta habere: insuper quot hebdomadis, die MATRI VIRGINI dicato, V. egētes hospitio excipere, ut illud etiam Angeli ambirent, & modulos suos adderent. Fugam è mundo meditati, & declinanti, nescio quod, epulum geniale, Proteus Orci eremicolam mentitus suadere cœpit, primam ætatē suo exemplo voluptati libaret, senectutem DEO litaret. At improbum consilianium AMBROSIVS signo crucis pepulit. Jamque D. Dominici, jam Alb. M. discipulus, mox ipse Doctor sacrarum literarum Lutetiæ, tum Coloniae fuit. Atque ut sciremus unde doctrinam suam haberet, visa est palam Divina columba in aures loqui AMBROSIO, quæ ille ad concionem clamaret. *Ex Ann. Dominic.*

*O seculum nequam, quod tuos sic soles beare amicos, ut Dei facias inimicos! planè enim qui amicus esse vult tuus, inimicus Dei consiuitur: Amicus itaque mundi, excluditur à consilio amicorum Dei. S. Bern. in Epist.*

S. BENEDICTUS ABBAS. 21. Martii.

**B**ENEDICTVS puer ludum cum eremo mutavit, satis jam magnus philosophus, qui terrena contemnere didicerat. Ibi multò post malus Orci pullus merulam mentitus, ingens sub animo libidinis incendium excitavit: sed ille nudus in spinas abjectus sanguine id extinxit; ut quando Poëtæ rosas olim omnes candidas volunt fuisse, ex his spinis primùm credam erubuisse. Secundùm hæc cum socios legeret, multa admiratione digna fecit, multa passus est. Illud lepidum etiam memoratu. Discipulum, qui a divinis ante finem subducere

ducere se amabat, attentioribus oculis arbitratus, vidit à Stygii coloris nano vestis orá prehensum e templo trahi. Castigavit virgis vagum, & ecce parvulus etiam ille è Styge Maurus tergum, ne virgis daret, fugæ dedit. At BENEDICTVS castra sanctissima in monte Cassinate locavit: illic everfo Apollinis fano, postquàm veriora cum aliis multis, tum Totilæ imprimis oracula dedisset, famâ, & discipulis orbem impleffet, sibi etiam denique vates sepulchrum parari jussit, & inter suorum manus, ut Ducem decebat, stans oppetiit. Mox duo Magistrū capere viderunt in cælos viam, amplam illam & veste pulcherrimâ stratam, multiſque luminibus coruscantem. Eam tunc nescio quis Cælitum viam Benedicti; D. Bernardus illius leges dixit; ut jam mirum non sit, si eandem tot Pontifices & Reges calcarunt. Nam viam ad cælum expeditam & jucundam quærebant, vel mundo Doctore. Ex S. Greg. M.

*Illud Sathana opus est, ut cogitationes orantis in infinita jaculetur, nec sinat hominē in ea persistere postulatione, quam impetrare contendit. Novit quippe, quod si perseveret deprecans, exaudiet eum, qui fecit illum, et si innumerabilia peccata admisit. S. Ephrem in Pan.*

S. CATHARINA SUECA V. 22. Martii.

**I**Nfans CATHARINA respuit impurarum nutrimentum ubera, castarum ambiit, Veneris jam in cunis hostis. Puella pupas tractavit; sed cum pupas induti dæmones verberarent dormientem, etiam has sibi Venerem jussit habere. Viro nupta dotem virginitatem attulit, & arrham virginitatem vicissim ab ipso accepit; quæ ut tuta in thalamo etiam dormiret, humi hunc stravit, vilibusque panni-